

sidlo Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitissae, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Generalis Campi Mareschalli, praefatorum Regnorum Bani, eorundem Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacrae Caesariae et Regio-Apostolicae Majestatis Consilarii Actualis Intimi Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitissae et Tabulae Banalis Legalis Praesidis, pro 14. Mensis Maji Anno 1761, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Quartus.

De mittendis ad Castra ex Confiniis Regni Banalibus Mille quingentis Militibus.

Posteaquam Benignum Suae Majestatis Sacratissimae Mandatum 6. Mensis Maji Anni currentis ad Dominos Status et Ordines distincta sane Benignitate in eo emanatum, quatenus, id exposcente summi Servitii Caesareo Regii ratione, ex Confiniis Regni Banalibus Mille quingenti Milites ad Castra Caesareo Regia mittantur; insuper vero urgente Belli praesentis vicissitudine tot militum armatorum, quot ex iisdem Confiniis deinceps etiam educere possibile fuerit, interea eum in modum colligantur, itaque parati et Instructi teneantur, ut subsequente primo benigno Mandato illico versus exercitum movere possint, publice lectum ac publicatum est: Sua Excellentia Banalis, negotio moram non paciente, praemissam Militiam hactenus jam ad Castra expedivisse, et circa futuram eatenus appromptionem necessaria jam disposuisse se declaravit, Domini vero Status et Ordines hoc ipsum Benignum Rescriptum, ut improthocolletur, determinarunt. Cujus tenor est:

Maria Theresia Dei Gratia Regnorum Imperatrix, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina Apostolica, Archidux Austriae.

Reverendi Honorabiles Spectabiles, ac Magnifici, Magnifici item Egregii et Nobiles, nec non prudentes ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Quandoquidem summi servitii nostri ratio exposcat, ut ex Confiniis Banalibus cum initio mensis hujus non tantum Mille quingenti Militis ad Castra Nostra Caesareo Regia mittantur, verum etiam urgente praesentis Belli vicissitudine tot adhuc Militum armatorum, quos ex iisdem Confiniis deinceps etiam educere possibile fuerit, interea eum in modum colligantur, ac pro exigentia summi servitii nostri parati instructique teneantur, ut subsequente primo Benigno Mandato Nostro illico Exercitum versus sese movere possint.

Idcirco quemadmodum Fidelitatum Vestrarum primum in secundandis omni occasione Benignis Intimationibus Nostri Regii non minus, ac tuendis Causae publicae rationibus studium, zelum et fervorem hactenus etiam cum solatio simul expertae, ita plene confidimus, futurum ut Eaedem in praemissis quoque decla-